

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput IX. De salutatione domini, et ejus consolatione.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

scire cupiens quid Angelus ab ea tulisset, eo quod illa vice nil specialis devotionis aut fervoris sentiret. Et ecce vidit tulisse ab ea quasi chartam, quæ sanguine suo ita erat inscripta : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate ; et illud : malle[m] mori quam criminaliter a te separari.* Mane etenim dum cogitationibus infestata fuisset, illa hæc cogitaverat resistendo. Et ait Angelus ad eam : « Hoc tu hodie cogitaveras ; et hoc scias : quoties homo cogitationibus et desideriis suis resistendo, proponit in corde suo ante mori quam velle peccare, statim coram Deo acceptabitur, ac si homo virtutem illam opere perfecit. »

Beatus qui  
vult potius  
mori quam  
peccare.

Tunc illa procidens ad pedes Domini, conquesta est quod omne tempus vitæ suæ inutiliter vivendo consumpsisset, proponens de cætero, si possibile esset, quod usque in diem extremi iudicii vivere vellet, etiam in maximis pœnis et doloribus, in quibus homo vixit super terram. Cui Dominus : « Pro omnibus quæ neglexisti, ut ea plene recuperes, saluta Cor meum in divina bonitate, quia ipsum est fons et origo totius boni, et unde omne bonum procedit. Secundo, salute Cor meum in affluentia omnis gratiæ quæ effluit, effluit et effluet in omnes Sanctos et animas salvandorum. Tertio, saluta venam illam dulcissimam benignissimi Cordis mei, quæ toties erumpens infudit et inebriavit animam tuam torrente meæ divinæ voluptatis. »

Cordivinum  
fons boni,  
salutis et  
gaudii.

---

## CAPUT IX.

DE SALUTATIONE DOMINI, ET EJUS CONSOLATIONE.

CUM vice quadam animæ suæ Dilectum præcordialiter salutasset, ille respondit : « Cum me salutas, resaluto

Qualiter  
animam  
Deus  
resalutat.

te ; cum me laudas, laudomeipsum in te, et cum gratias agis, ago et ego in te et per te gratias Deo Patri. » Tunc illa dixit : « Mi dilecte, quid est illa salutatio qua animam meam resalutas, cum non sentiam ? » Respondit : « Mea salutatio nil aliud est quam prædulcis affectus meus ad animam. Sicut enim mater filio in sinu suo blanditur, docens eum et proloquens ei quibus eam verbis salutet et alloquatur, quod dum puer nondum ex proprio affectu, sed secundumquod a matre docetur fecerit, ipsa tamen illud materno corde suscipit, et quandoque puero ex hoc osculum infigit ; sic et ego animam per divinam inspirationem et amoris commotionem instruo qualiter me salutet ; quod dum illa pro modulo suo fecerit, ego illud secundum magnitudinem paterni affectus suscipio, et ex hoc animam per gratiam meam resaluto, licet quandoque anima minime sentiat. »

QUOD DEO BONA OPERA SAPIUNT, LICET HOMINI NON.

Hominem,  
licet sensu  
mobilem,  
Deus  
constanter  
amat.

SCIENDUM quod eodem modo, cum homo Deum laudat vel orat sive quodcumque facit, etsi ipsi non sapit, Deo tamen cui nec accrescit nec decrescit, sed immutabilis ipse perseverat, ideo minus non sapit, nec propterea minus acceptat ; qui nunquam nisi in semetipso et ex suo amore erga animam commovetur ; qui pro beneplacito suo et secundum quod animæ expedire novit, eam sua dulcedine allicit, et amore suo liquescere facit ; imo tunc quodammodo magis gratanter suscipit, qui nonnunquam animæ amantis erga se fidelitatem cupit experiri.